



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scala Jacob

Lindeborn, Jan

Antverpiæ, 1666

§. 5. De Angelis in Scala. Quo docetur Angelorum cura pro Virginibus, Virginitatem Angelicam esse virtutem & Angelos Virginibus imitandos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)

„dum pignus parentum, quæ non dote sollicitet,
 „non emigratione destituat, non offendat injuria.
 Nonne suum hoc habet fundamentum? quis nam-
 que dubitaverit eas permulta posse, quæ in brachiis
 Sponsi cœlestis conquiescunt qui ad amplexus pa-
 ratus Scalæ huic mysticæ innititur. Quæ asseverant
 gloriabundæ: *Læva ejus sub capite meo & dextra il-
 lius amplexabitur me.* At hæc de Virginibus dico, ut
 & vos intelligitis, quæ verè Virgines sunt, *non faci-
 entes animam*, juxta D. Fulgentii phrasin Epist. 3. c.
 14. *sub Virginitatis nomine in concupiscentiis dormi-
 tare*: Quæ cogitant quæ Domini sunt, quomodo
 placeant Deo, cui ex S. Basilio velle placere, nihil
 „est aliud, quam laudabilem seipsam, ac beatam, &
 „ei similem pro viribus facere. Quod ut & vos fa-
 ciatis unicè commendo cum S. Augustino: Vos
 „Virgines, genus electum, & in electis electius vir-
 „ginei chori: ergone hunc quantò ejus donis orna-
 „tiores estis, tantò minus amabitis? Agite quod ait A-
 „postolus (monet idem doctor alibi) quoniã non co-
 „gitatis ea quæ sunt mundi, quomodo placeatis ma-
 „ritis, cogitate quæ Dei sunt, quomodo illi in omni-
 „bus placeatis, ut non uterum fœtibus, sed animum
 „fœcundum possitis habere virtutibus.

Cant. 2: 6.

8: 34

L. de Vir-
ginit.de Virginit.
c. 40.Serm. 60.
de diversis.

§. V.

De Angelis in Scala.

Quinta circumstantia est, quòd *in Scala Angeli*
 videantur, cujus triplicem ex S. S. P. P. colligo
 considerationem:

Prima

L. 1. de
Virgin.

6. 3:7. 8.

In Brevia-
rio Roman.
22. Novem.
Leç. 4. &
5.

Matth. 22:
29. & 30.

Prima est Angelorum pro Virginibus cura & præsidium: „ Vobis Virgines sanctæ speciale præsidium est (scribit S. Ambrosius) quæ intemerato pudore „ sacrum Domini servatis cubile: neque mirum si „ pro vobis Angeli militant, quæ Angelorum moribus militatis: meretur eorum præsidium castitas „ virginalis, quorum vitam meretur. Quem in sensum jam ante citaverat illud ex Canticis: *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios & ad bella doctissimi*: quis namque ille Salomonis lectulus, nisi Status Virginalis, in quo Salomon divinus deliciatur cum anima capta? hunc ad defensionem ambiunt Angeli, sive ut in Scala nostra mystica videmus & adstant Angeli quæ est eadem cum lectulo. Videtis illos? agnoscite eos vestros præfides, quibus volupe vestro vacare ministerio, pro vestra custodia excubias agere. Exempla, quibus hoc confirmem, plurima suppeditant gesta SS. unum allegasse sufficiet ex Vita D. Cæcilie, quæ cum contra propositum suum & invita ad matrimonium cum Valeriano coacta fuisset, primâ nuptiarum nocte se dixit sub Angeli tutela, qui ejus virginitatem defensaret, ideoque nihil committeret, quo in se Dei iram provocaret: dicti veritatem post baptismum & ipse & frater ejus Tiburtius illo viso agnovêre.

Secunda est Virginum excellentia, quæ per hos Angelos adumbrantur: ex eo namque, quod Sadducæis rogantibus quisnam fratrum, quæ septem numero successivè eandem uxorem habuerant, eam in resurrectione esset habiturus, responderit Salvator:

Erratis, in resurrectione enim neque nubent, neque nubentur,

bentur, sed erunt sicut Angeli Dei in caelo. Deducunt
 SS. P P. Virginitatem virtutem, sive ut loquitur S.
 Hieron. similitudinem, esse *Angelicam*, ideoque Vir- *Epist. 50.*
 gines Deo consecratas Angelis similes: omnes alle-
 gare necessarium foret, si omnium glossas referrem,
 aliquos tamen duxi audiendos, ne, ubi illi tam fuere
 eloquentes, nos silentiarii simus. „ Quod nobis pro-
 „ mittitur, vobis praesto est, votorumque nostrorum
 „ usus apud vos est: de hoc mundo estis, & non estis
 „ in hoc mundo: seculum vos habere meruit, tenere
 „ non potuit: (habet D. Ambros.) „ Hoc vobis sua- *L. 1. de*
 „ deo (ait idem) quo nihil pulchrius, ut inter homi- *Virgin.*
 „ nes Angeli sitis, qui nullâ sibi ligantur nuptiali co- *in Exhort.*
 „ pulâ., Quod futuri sumus (verba sunt S. Cypriani) *ad Virgin.*
 „ jam vos esse coepistis: Vos resurrectionis gloriam in *de Habit.*
 „ isto seculo jam tenetis: per seculum sine seculi con- *& discipli-*
 „ tagione transitis, cum castæ perseveratis & virgi- *na Virg.*
 „ nes Angelis Dei estis æquales. Adam autem cog- *Hom. 18.*
 „ novit uxorem suam: considera (inquit S. Chryso- *in Genes.*
 „ stomus) quando hoc factum sit: post inobedien-
 „ tiam, post paradisi emissionem, tunc primum usus
 „ rei veneræ coepit: ante inobedientiam enim Ange-
 „ licam vitam imitabantur, & nulla fuit concubitus
 „ causa: qui enim potuit cum neque corporalibus
 „ necessitatibus obnoxii fuerint? Itaq; ab initio Vir-
 „ ginitas palmam principatus accepit, sed postquam
 „ per desidiâ peccatum intravit, & aditus patefa-
 „ ctus est his quæ peccati sunt, illa quidem avolavit
 „ utpote ab his, qui indigni tantæ virtutis magnitu-
 „ dine facti erant, subintravit autem rei veneræ lex.
 „ Cogita igitur dilecte quanta Virginitatis dignitas,
 „ quàm sublimis & magna possessio, supraque huma-
 nam

nam naturam, & quæ opus habeat manu supernâ. Quod enim hi qui Virginitatem alacriter arripiunt, in corpore ea agant quæ incorporearum sunt virtutum, audi Christum Judæis dicentem: &c. Vidisti quomodo in terra ambulant, & corpore circumdati angelicam vitam imitantur, qui Christi amore Virginitatis sortem acceperunt? nam quantum hæc major est, & sublimior tantò majores sunt, & coronæ & retributiones & repromissa bona eorum, qui cum hac in aliis bonis operibus se exercent. Ampliùs dicit S. Basilius: „ Hi profecto qui virginitatem servant Angeli sunt: Angelique non obscuro aliqui, sed sanè illustres atque nobilissimi: illi enim carnis nexibus liberi integritatem suam in cœlis servant, & loco & naturâ inviolabiles, & apud summum Regem omnium Deum constituti: at verò isti in terrâ, carnis illecebris & voluptatibus diu reluctantes, ac diaboli tentamenta perpetuâ exercitatione vincentes, incorruptionem angelicæ puritati parem virtute præcipuâ ante Creatoris oculos custodierunt. Cui adstipulatur S. Petrus Chrysologus: „ Semper est Angelis cognata Virginitas: in carne præter carnem vivere, non terrena vita est sed cœlestis: & si vultis scire angelicam gloriam acquirere majus est, quàm habere: esse Angelum felicitatis est, Virginem esse virtutis: Virginitas enim hîc obtinet viribus, quod habet Angelus ex natura, quam proinde Angelum artificialem meritò dixerim. S. Bernardus: „ Differunt homo pudicus & Angelus felicitate, non virtute: Angeli castitas felicior, hominis fortior. Et D. Cyprianus: „ Virginitas æquat se Angelis, si verò exquiramus, etiam excedit,

*De vera
Virginit.*

Serm. 143.

Epist. 42.

*L. de Bono
pudicitia.*

„dit, dum in carne luctata victoriam etiam contra naturam refert, quam non habent Angeli. Jam audistis omnes, cum omnium eadem sit loquela: qua de causa Cœlibes quasi Cœlites dixit S. Hieronymus. *L. 2. contra Jovinian.* Et D. Joanni Apostolo adorationem sui prohibet Angelus. Vultis exemplum pro ampliori proba? In Virgine Stephano protomartyre habes (non enim solum sexus feminini, sed & virilis est hæc virtus) *Intu- Ab. 6: 15.* entes eum omnes qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli.

Tertia autem & præcipua est earundem obligationis adumbratio: debere scilicet, quotquot in hac mystica Scala sunt, angelicis nitere virtutibus, & *virtute animæ & corporis integritate Angelis esse æquales*, ex sensu S. Basilii. Multæ sunt, quæ sufficere existimant, si velatæ sint, si Deo consecratæ: at decipiuntur, non enim eæ Virgines, sed vocabula nuda & nomina cassa sunt Virginum, ampliùs requiritur, & quid requiratur in Scala hac videte, ut nempe Angelos se exhibeant moribus & virtutibus: „ Statim ut „ filius Dei ingressus est super terram, novam sibi familiam instituit (scribit D. Hieronymus) ut qui ab „ Angelis adorabatur in Cœlo, haberet Angelos & „ in terris. Ecce Angeli estis, seu potius esse ratione vocationis vestræ debetis, cum *Angelis* ad obsequia divina promptæ, ad facta heroica cum *Archangelis* expeditæ, cum *Principatibus* animæ vestri regni præfides sollicitæ, cum *Potestatibus* contra dæmonum tentationes fortes, cum *Dominationibus* non passionum vestrarum mancipia at earum dominæ, cum *Virtutibus* in bonis operibus frequentes, cum *Thronis* gratum Dei hospitium, cum *Cherubinis* cœlesti noti-

tiâ instructæ, & divino amore flagrantés cum *Seraphinis*: talis quæcunque est, ea demum est, qualis esse debet Angelus non naturâ sed imitatione; ea talis est, qualem debere esse omnes, quæ in hac mystica Scala sunt, Hi Angeli adumbrant: „Immaculatus,“ enim Dominus sibi familiam etiam in hoc pleno, colluvionum fragilitatis humanæ corpore consecra-

L. 1. de vit, ex S. Ambrosio.

Virgin.

Auditis imò intuemini ex vi vocationis obligationem vestram, quam & ipsæmet contraxistis: nonne provolutæ olim ante Aram vos totas Deo consecrastis? nonne omnibus notum voluistis in terrenorum Angelorum numerum & magni Domini Familiam vos receptas? quid est quod tunc vobis reservantes

Act. 5: 2.

cum Anania & Zapphya Deo subtraxistis? nihil omnino, holocausta eratis flammâ divini amoris incensa, in ejus honorem totaliter consumenda: Sponsæ eratis, omnia vestra & vos ipsas in Sponsum celestem resignantes. Ut & hinc denuo pateat falsa eorum distinctio, qui in eo à Religiosis vos discriminant, quòd illi arborem ipsam cum foetibus, vos autem retentâ arbore solummodò quosdam fructus Deo deferatis, cum ex vi status vestri ad divinum obsequium eadem cum illis vos obligatio constringat.

State itaque promissis, & quæ nomine Angelorum familiam augetis in terra, cœlestium Angelorum officia æmulemini: horum præsidii gloriemini quidem, gloriemini etiam (& meritò potestis) status vestri excellentiâ, quæ vos Angelis reddit æquales: sed & (quod omnibus & singulis summè inculcatum oportet) ejusdem obligationi satisfacite: est quidem ex S. Cypriano; *Virginitas Soror Angelorum*. Sed & ex eodem

eodem ; *Regina Virtutum & possessio omnium bonorum.*

§. V I.

De Angelis in Scala ascendentibus.

Angelos in Scala vidimus, sequitur ut eosdem Ascendentes contemplemur : quos dum vobis conor ostendere, ecce prima occurrit primum pedem huic Scalæ imponens (cujus memoriam agit Ecclesia) ^{21. Novemb.} beatissima Virgo Maria, quam Virginum Matrem ac Magistram multis probat D. Ambrosius, *Hæc est imago Virginitatis*, scribens inter alia, *Talis enim fuit Maria, ut ejus unius vita omnium disciplina sit.* Neque illa occurrit sola, sed & piissimi ejusdem parentes Joachim & Anna, hanc unicam suam filiam, & unicè dilectam gratissimo spectaculo adducentes ad hanc Scalam, eamque dum in Templo Solymæ præsentant, in illam erigentes ac collocantes. Quo spectaculo *ab Ascendentibus* divertimur ad *Ascensuras* earumque parentes, atque ab hisce detinemur : quibus, Virgines ad hæc Scalas conscendendas pelliciens, hoc eorum exemplum æmulari multis suadet Apostolus, tandemque concludit : *Igitur & qui matrimonio jungit Virginem suam benè facit, & qui non jungit meliùs facit.* ^{1 Cor. 7. vers. 38.} Quis namque matrimonii finis ? nonne ut proles suscitentur quæ hîc deserviant Deo, & in Cœlo eundem collaudent ? Ubi autem id meliùs fiet, an si in pèstilenti seculi aura maneant, vel si se Deo consecrent ? Apostolus, qui se spiritum Dei habere putabat, statum Virginalem præfert : „ (Lau- ^{1 Cor. 7 :} do nuptias, laudo conjugium, sed quia mihi Virgi- ^{40.} nes generant : Lego de Spinis Rosam, de terra aurum,